



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 4. Quos effectus habent Sponsalia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



absoluta. 4 Publicè vel clandestinè; nam ad illa jure communi non requiritur præsentia Parochi & testium, ut teste Fagnano declaravit S. Congregatio Cardin. quia Trid. nihil statuit nec immutavit circa Sponsalia, quæ ante illud clandestinè contracta valebant, cum ante illud ipsa Matrimonia clandestina essent valida, ideóque & Sponsalia quæ sunt quid accessorium & præparatio ad Matrimonium. A jure autem veteri non est discedendum, nisi per novum exprimatur, ex l. 32. Cod. de Appellat. Jure tamen particulari multarum Dioceseon præsertim Galliæ & Belgii Sponsalia celebrari debent coram Parocho & testibus. In quibus Diocesesibus, si coram Parocho non fuerint contracta, sunt nihilominus rata & obligatoria, inducuntque impedimentum publicæ honestatis, juxta Rituale Cameracense & Synod. Mechliniensem, cum à Tridentino sint relicta intacta, atque ita relicta in terminis & dispositione juris communis.

*Q. 4. Quos effectus habent Sponsalia?*

*Resp. Tres. I. Est gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore præfinito; aut si nullum tempus per sponfos vel per consuetudinem constitutum sit, parte unâ opportunè id exigente, nisi altera justam habeat causam differendi: nam omnis contractus onerosus obligat ex justitia, ideóque sub mortali in re gravi. Hinc qui culpabiliter resilit à Sponsalibus, perdit suas arrhas, & tenetur reddere alteri*



parti suas, imò & ei restituere impensas factas, & damna, seu quanti ejus intererat talem contractum impleri; quia in hoc injuriam fecit.

2. Est jus inchoatum ad rem in corpora mutua, quo fit ut, quamvis usus sit Sponsis illicitus, tamen si Sponsus fornicetur cum alia, vel sponsa cum alio, peccet contra castitatem simul & justitiam. Quæ injustitia, utpote in re gravi mortalis est, ideoque explicanda in Confessione.

3. Est impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

*Q. 5. Quibus ex causis dissolvuntur Sponsalia?*

*Resp. Dissolvuntur 1. Mutuo Sponsi & Sponsæ consensu, c. 2. de Sponsal. sicut alii contractus: nam singuli possunt cedere jure suo; & Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. c. 1. de Reg. Jur. idque etiam fuerint juramento firmata: quia in omni juramento promissorio subintelligitur conditio, nisi promissarius remittat. modo tamen ambo sint puberes; nam impuberes ante pubertatem resilire non possunt, c. 7. de despons. impuber. quod statutum est, ne obinconstantiam ac levitatem sæpius nova contrahant Sponsalia, & rursus dissolvant. Sed impubes, cum pervenerit ad pubertatem, potest pro libito illa dissolvere, nisi intervenerit copula, c. 8. eod. Tit. vel nisi fuerint jurata, c. 10. de Sponsal.*

2. Per Matrimonium validè contractum cum